DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

BILIS INTERNO ET EXTERNO VSV MEDICO

QVAM

ANNVENTE DIVINO NVMINE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQVA.

SVB PRAESIDIO

CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED

PHILOSOPH. ET MEDICIN. DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICES PROF. PVBL. ORD. ET h. t. FACVLTATIS MED. DECANI, SERENISS. DVC. SAXO-VINARIENSIS ET ISENACENSIS ET SERENISS. MARCHIONIS BRANDENBVRGICO-CVLMBACENSIS CONSILIARII AVLICI, PRIORIS MEDICI ET PHYSICI, COMIT. PALATINI CAESAREI, ACAD. IMP. NATVR. CVRIOSORVM COLLEGAE.

PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI AETERNVM DEVENERANDI

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO

LOCO HORISQVE CONSVETIS DIE XV. NOV. MDCCLII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS HVFELAND

MEDICINAE PRACTICVS.

IENAE LITTERIS TENNEMANNIANIS.

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. IOANNI CASPARO MVLLERO

SERENISSIMI PRINCIPIS HAEREDITARII VINARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AVLICIS AEQVE AC ARCHIATRO PRIMARIO RELIQVA

MEDICO

ARTE ET EXPERIENTIA

INCOMPARABILI

CELEBRATISSIMOQVE

SENI

INVENILI CORPORIS ROBORE

CONSTANTI ANIMI TRANQVILLITATE

IN

VIRTVTIS ET PIETATIS HONOREM

BLANDE CONSPICVO

PARENTI

SOBOLIS NVMEROSAE FELICISSIMO

AETERNO

NOMINIS SVI

DECORI ATQVE ORNAMENTO

NEPOTVM DELICIIS

A ME

EORVM NATV MAXIMO

GRATISSIMA SVSPICIENDO PIETATE

NEC NON

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

IO. CHRISTOPHORO
HVFELAND

MEDICINAE DOCTORI
ATQVE
PRACTICO CELEBERRIMO
P. T.
PHYSICO ET CONSVLI CIVITATIS TENN-
STADIENSIS DEXTERITATE ET FIDE
SPECTATISSIMO

ARTIS SALVTARIS
GLORIAM
DIGNISSIMO SVO EXEMPLO
FELICITER AMPLIFICANTI
VNICO
S V O R V M
SOLATIO
MEAEQVE FELICITATIS
STATORI ATQVE PROMOTORI
SAPIENTISSIMO LIBERALISSIMO
DESIDERATISSIMO
PARENTI

DISSERTATIONEM HANC
IN PIETATIS NVNQVAM INTERITVRAE
MONIMENTVM CONSECRAT

A V C T O R.

Q. D. B. V.

DE BILIS INTERNO ET EXTERNO VSV MEDICO.

PROEMIVM

In tanta medicamentorum, quae longa ſollersque experientia produxit, abundantia non mediocrem laudem promeriti ſunt illi, qui ſpretis operoſis remediorum compoſitionibus, ſimplicibus ſuffragantes ea in artis exercitio tutius atque frequentius adhibenda eſſe ſuaſerunt. Sic enim reuocata priſca illa medicina, quae paucis iisque ſimpliciſſimis remediis contenta felices praeſtitit curationes: hodiernae non parum facilitatis pariter ac certitudinis conciliatum, eiusque

exercitio non ſpernenda acceſſit perfectio. Summo inde artis medicae bono factum eſt, quod ſollertia et experientia ſummorum in arte virorum ſuppeditauerit remediorum vtiliſſimorum apparatum. Dignus eſt, qui primo loco nominetur reuocatus lactis in rem medicam vſus, quem ex nouiſſimis debemus viris eximiis, Boerhauio, Sydenhamo, Hoffmanno, quemque ſummam in humani generis ſalutem ceſſiſſe loquitur pleniſſima inde ſanatorum cohors. Meretur inter vegetabilia iuſtas ſuas laudes cortex peruuianus, quem per ſeculum acerrimis quidem probris increpatum ſolidiſſimis tamen rationibus a Werlhofio et Bergero vindicatum remediorum antifebrilium principem quotidie cognoſcimus. Taceo plura alia eaque egregia remediorum genera, quibus locupletata fuit hactenus medicina. Sufficit adhuc bilis animalium inieciſſe mentionem, cuius externum vſum ſatis antiquum tam ſacra ſcriptura exemplo Tobiae, quam veterum et recentiorum medicorum ſcripta monumenta probarunt. *) Non effugit ſimplicis huius remedii virtus ſummum Boerhavii acumen, qui illud accurata trutina examinatum, non externae tantum, quin etiam internae medelae conuenientiſſimum adſtruxit, idque internorum frequentius adhibendorum remediorum claſſi inſeruit. Nec defuerunt poſtea egregii in arte viri, qui huic remedio a quibusdam pro infido et corpori humano minus amico habito fidem atque auctoritatem adiunxere.

De ſpecimine inaugurali mihi meditanti placuit vlteriori conſiderationi ſubiicere hoc argumentum hisque in pagellis bilis internum et externum vſum medicum

pro

*) Conf. B. Schulzii Hiſtor. med. p. 156.

pro virium tenuitate diſquirere. Optime autem rem peragere mihi viſus ſum: ſi duabus ſectionibus id perſoluens primam bilis naturae, alteram eius vſui interno et externo diſpiciendo deſtinarem. Faxit Deus T. O. M. vt ſuſceptus labor bene et proſpere eueniat!

SECTIO PRIMA
DE BILIS NATVRA.

§. I.

Cum in bilis vſum internum et externum medicum inquirere animus ſit: ordo dicendorum exigit, vt de eius natura prius ſolliciti eam paullo accuratius inueſtigemus. Duplex autem ad eam pernoſcendam via patere videtur, vna, qua ex variis ad ſecretionem eius pertinentibus, altera, qua ex chemica analyſi variisque cum illa ſuſceptis experimentis ad intimiorem eius notitiam peruenimus. Placet itaque vtrique in ſequentibus, eodem ſeruato ordine, inſiſtere. Hepar, ampliſſimum abdominis viſcus, totum fere hypochondrium dextrum, medium epigaſtrium et partem ſiniſtri hypochondrii occupans genuinam conſtituit bilis officinam. Materiam pro bile ſecernenda eſſe ſanguinem per venam portae aduectum, ex phyſiologicis abunde conſtat. Arteriam enim hepaticam, alterum vas, ex quo ſanguine hepar irrigatur, nullam bili ſecernendae largiri materiam ſed tantum nutritioni hepatis inſeruire, patet ex collata cum mole hepatis arteriae hepaticae capacitate, et ſanguinis per venam portae allati quantitate; prout hoc fuſius et ſolidiſſime ab Ill. Hambergero, Praeceptore et Patrono ſumme colendo demonſtratum fuit. *)

*) In Phyſiolog. §, 583.

Manet itaque per ſolam venam portae via, qua aduehitur pro bile ſecernenda ſanguis.

§. II.

Vena portae ex variis et multiplicibus infimi ventris venis exſurgit; vnde non immerito ex duplici vena conſtare dicitur, quarum trunci ſibi inuicem connexi, rami autem oppoſitis regionibus, vna per abdomen altera per hepatis viſcus diſtributi ſunt. *) Rami per abdomen diſperſi radicum venae portae, per hepar autem diuiſi ramorum venae portae nomen nacti ſunt. Radices ſeu rami inferiores conſtituuntur a vena meſaraica maiori, vena ſplenica, et haemorrhoidali interna, vel meſaraica minori. Truncus venae portae ſic oriundus ſimulac ſubſtantiam hepatis intrauit, nomine ſinus venae portae inſignitus et arteriae munus ſuſcipiens innumeros per hepar ſpargit ramos. Qui tandem vbi ad ſummam peruenere exilitatem, acinos hepaticos efficiunt, ibique in vaſa ſecernentia, poros biliarios, bilem deponunt, ex quibus deinde ſenſim ſenſimque coaceruatis vnus exoritur canalis eo, quo vena portae hepar ingreditur, loco ex hepate ſub nomine ductus hepatici prodiens, et ſecretam bilem tam per ductum cyſticum ad fellis veſiculam, quam per ductum cholodochum ad duodenum vehens. Reliquus a ſecretione ſanguis per venas hepaticas ad cauam reuertitur.

§. III.

Cum ad fluidi ſecernendi praeparationem praecipue faciat mutata partium id conſtituentium proportio, muta-

*) Winslow Expos. anat. T. III. de venis. §. 227.

mutataque motus progressiui celeritas: *) non erit mirandum, si sanguinem iisdem sub legibus valde mutatum ante secretionem tam extra hepar, quam in ipso hoc viscere cognouerimus. Constat enim sanguinem venosum ex ventriculo, pancreate, liene, omento, mesenterio, omnibusque intestinis redeuntem venae portae pro secretione infundi. Nec negandum est, in vnoquoque hoc viscere diuersas a sanguine, ea viscera permeante, separari partes, alias illi iterum admisceri. Per intestinorum, omenti, pancreatis, mesenterii et ventriculi tractum progrediens sanguis partes seroso-lymphaticas pro constituendo liquore gastrico, pancreatico, intestinorum et lympha halituosa abdominis suppeditat. In liene quoque magnam e sanguine abire lymphae copiam, testantur copiosa eius vasa lymphatica. Admisceri iterum huic sanguini subtilissima liquida, plane spirituosa, fidem faciunt tam innumeri ad haec viscera abeuntes neruorum fasciculi. Et, si in veritate fundatum est, vbicunque sunt vasa exhalantia, ibi quoque inhalantia dari: non absonum erit, credere, sanguinem venosum multas subtiles his ex visceribus absorptas fluidorum partes secum ducere ad venam portae.

§. IV.

Mutatum sanguinis in vena portae motum progressiuum extra omnem dubitationis aleam positum esse, patebit perpendenti varias easque singulares in venae portae ramis circulationis rationes.

Quodsi enim nobiscum expendimus situm varium radicum venae portae, capacitatem earum maiorem arteriarum ex quibus oriuntur, capacitate, valuularum in il-

*) Ill. Hambergeri Physiol. §. 330.

in illis abſentiam; ſi conſideramus ramos venae portae ſecunda vice venoſos: facillimum erit iudicatu, motum ſanguinis huius progreſſiuum eſſe valde retardatum. Pondus enim ſanguinis his vaſis incluſi valuulis non ſuſtentatum, reſiſtentia maior in extremitatibus ramorum venae portae, et vis pellens perquam debilis ſatis validum motui ponunt obicem.

§. V.

Ex hactenus enarratis conſtare arbitror, ſanguinem venae portae, cum multiplices ſecretiones paſſus fuerit, ſpirituoſi fluidi magis factusque particeps, et motu tardiori feratur, ſingularem plane induiſſe craſin, pro qua minori gradu ſeroſis particulis, eo maiori vero ſalinis ſulphureis et terreis ſcateat. Cum autem ex ſanguine venae portae bilis ſecernatur, et ſecretio ſecundum adhaeſionis leges fiat, hepar vero per experimenta Ill. Hambergeri *) maximam inter viſcera habeat grauitatem ſpecificam: neceſſario ex hoc ſanguine partes grauiores ſecernentur. Bilis ergo, prout ex antedictis liquet, ſatis notabilem ſalinarum terreis et ſulphureis iunctarum particularum copiam continet. Non tamen reticenda eſt differentia inter hepaticam et cyſticam bilem intercedens, ſecundum quam haec illa ſpiſſior, adeoque partes ſalinas et ſulphureas ob abſorptas fluidiores ſibi habet propiores et magis coniunctas.

§. VI.

Cyſtica bilis, cum qua in ſequentibus nobis potiſſimum res erit, linguae admota amariſſimum ei inprimit ſaporem, et inſpiſſata flammam concipit carbone relicto.

*) Phyſiol. §. 354.

cto. Indubitata autem viget veritas, omnem ſaporem eſſe a ſalibus, et omne quod ardet ſulphur eſſe. Bilis ergo elementa ſulphurea, terreo-ſalina eſſe, exinde quoque eluceſcit. Quodſi praeterea ex analogia cum amaris corporibus argumentum deriuare licet: eo maior huic aſſerto accedet certitudo, quo magis in chemicis euictum eſt, omnem amaritiem ſalibus ſub certa proportione cum ſulphure combinatis natales debere.

§. VII.

Bilis principium ſalinum alcalicae proſapiae eſſe, vt credamus, non vago adducimur argumento. Teſtatur hoc chemica analyſis. Sic praeeunte Ill. atque B. HOFFMANNO *) vnciae duodecim bilis bouinae vncias vndecim dederunt phlegmatis inſipidi, ex vncia reſidua prolicitus ſpiritus odoris ingrati et empyreumatici, qui cum ſpiritu nitri expedite efferuescebat, et ſyrupum violarum viridem efficiebat. Impetratum quoque olei quidpiam ſimilis indolis et efficaciae cum ſpiritu. Caput mortuum terreum in retorta quod reſtitabat, drachmas duas cum dimidia pendens per incinerationem dedit ſalis fixi manifeſte alcalici drachmam vnam. Eadem analyſi obtinuere e bile tam fixum quam volatilem ſalem BAGLIVIVS **), DRELINCVRTIVS ***), BOERHAVIVS *), VERHEYN **), et PECHLINVS ***). In nullam ergo dubitationem vocari poſſe videtur alcalina

*) in Diſſ. de bile medicina et veneno corporis.

**) Oper. p. 278.

***) in ἐπιμετρ. ad Tract. de liene p. 805.

*) in prael. ad inſt. HALLER. T. I. p. 99.

**) in anatom. corp. hum. Lib. II. Tr. I. c. 19.

***) in metam. Apoll. et Aeſcul. p. 109.

lina indoles ſalis in bile contenti. Nec in aliam ſententiam vt abeamus, mouent illi, qui alcalici in bile ſalis praeſentiam eo argumento negare tentant, quo illum productum ignis eſſe credunt. Laborat enim illud iisdem difficultatibus, quas ei ſolidiſſime oppoſuit Ill. HAMBERGERVS in demonſtratione ſalis alcalici in ſanguine contenti. Quemadmodum enim non inficiandum, ignis ope produci ſalem antea particulis terreis, aqueis, ſulphureis irretitum: ſic nullatenus exinde concluſio formari poterit, eum nunquam antea in bile exſtitiſſe, et a vi ignis demum generari; cum huius contrarium ſufficienter inſuper edoceat bilis ad putredinem ſumma procliuitas, pro qua, dicente BOERHAVIO *), nil citius et peius putreſcat, quam bilis.

§. VIII.

Quae de bilis alcalina indole docet chemica analyſis, ea omnia varia cum bile inſtituta experimenta et praecipue eius cum aliis corporibus mixtiones pulcherrime confirmant. Fere omnes enim mutationes illa patitur quas ſalia alcalica ſubire ſolent cum aliis remixta ſalibus. Primo quidem, quae bili cum acidis remixtae contingant, circumſpicienda nobis erunt.

1.) Addito bili veruecinae ſalis acidi vulgaris ſpiritu: ſtatim oriebatur fermentatio, mutatio coloris in obſcure flauum, praecipitatio quaedam;

2.) cum ſpiritu nitri ſtatim mutatio coloris in vitellinum cum leui efferuescentia obſeruabatur;

3) Bubula bilis cum ſpiritu vitrioli magna antecedente ſpuma, coagulabatur in viridem maſſam. **).

4) Mixta

*) in Prael. acad. T. I. HALLER. p. 430.

**) Bagliuius Oper. p. 284. Bohn. in Circ. anat. p. 280.

4.) Mixta cum aqua forti bilis veruecina ſtatim exhibebat bullas virideſcentes, inſequente poſt aliquantum temporis magna confuſione;

5.) Cum aceto ſtatim bilis colorem mutauit in vitellinum craſſum et reliquit praecipitatum cum amaritie retuſa *).

6.) Alumen crudum pulueriſatum bili bouinae additum extemplo attulit efferueſcentiam, liquoris turbationem, praecipitationem, et poſt eam colorem fere eundem, quem habebat ante praecipitationem, ſcilicet ex viridi flauescentem **).

§. IX.

Alcalicorum tam fixorum quam volatilium ſalium cum bile commixtionem alias et prioribus fere contrarias efficere in bile mutationes, ex ſequentibus experimentis ediſcere lubet:

1. Sal abſynthii bili adſperſum non quidem ſolutum, amaritiem eius tamen in tantum auxit, vt guſtata vomitum moueret.

2. Oleum tartari affuſum, bilis mixtionem haud mutabat, amaritiem augebat, cum inſecuto poſt aliquot dies pauco ſedimento ***).

3.) A ſpiritu ſalis ammoniaci mox tota ſoluebatur bilis, ſine vllo praecipitationis aut coagulationis momento, et ſapor ex vrinoſo et bilioſo mixtus erat.

4. A ſpiritu ſanguinis humani fere eaſdem ſuſtinuit muta-

*) Bagliu. L. L. cit.

**) Memoires de l' acad. royal. des Sciences 1709. p. 469.

***) Bagliu. L. L. cit.

mutationes, si spumositatem aliqualem et sedimentum paucum excipiamus *).

§. X.

Fallit ergo omnis experientia, aut bili manet alcalina indoles. Docuit acidorum cum illa commixtio, eamque insecuta substantiae, coloris mutatio, et motus intestinus acidi salis cum alcalico conflictum, qui eo magis est admirandus, quo maiori copia particularum aquearum et oleosarum bilis salem immersum esse, scimus. Factam ab acidis in bile praecipitationem procul dubio debemus vnioni salis acidi cum alcalico et insequenti partium terrearum et sulphurearum antea solutarum coniunctioni. Quam proxima veritati sint haec omnia, edocuerunt contrarii effectus ab alcalicis bili admixtis oriundi. Nullum inde animaduertimus intestinum motum, nullam ebullitionem. Magnam e contra ab eis accedere vidimus bili perfectionem ex saporis amari inde orto augmento, manifesto proinde argumento vigentis inter alcalica et bilem affinitatis. Sed probant vlterius hanc affinitatem, quae bili ab acidis coagulatae, si ei alcalica salia addantur, contingunt. Oborta enim efferuescentia: pristina fluiditas cum sapore et colore naturali illico bili restituitur. Accedit his aliud argumentum summum a chemicis pro alcalici salis praesentia demonstranda aestimatum, coloris puta violarum in viridem mutatio, quam vtique a bile contingere experientia comprobat **). Nec destruit huius phaenomeni veritatem in contrariam sententiam abeuntium opinio, quae mutatum

*) Bohn. L. c. p. 279.

**) HOFFMANN. Med. Syst. T. I. Sect. II. c. V. §. 5.

tatum violarum colorem proprio bilis cum hoc combinato colori aſſignandum eſſe contendit; cum ex ſuperioribus in propatulo ſit, omnia e bile per chemicam analyſin producta eandem violarum colori attuliſſe mutationem.

§ XI.

Sulphurearum in bile particularum praeſentiam ſatis ſuperque firmauit chemica analyſis et facilis bilis deflagratio. Quemadmodum autem oleoſas has partes naturam animalem induiſſe, extra dubium poſitum eſt: ita egregio experimento in huius aſſerti confirmationem ab HOMBERGIO edocemur, verum ſolidumque adipem e bile obtineri poſſe. Ortum enim poſt factam ab alumine crudo in bile praecipitationem, liquorem, (§. XII.) ſordibus et ſedimento ſeparatis, ſoli expoſuit per aliquot menſes, vitro bene clauſo. Obſeruauit hoc tempore, nouum quod contingeret ſedimentum, viditque ſucceſſiue in ſuperficie liquoris colligi pinguedinem albam et ad ſebi hircini duritiem accedentem.

§. XII.

Terrearum partium in bile adeſſe notabilem quantitatem, tam poſt chemicum examen relictum caput mortuum, quam poſt deflagrationem reſidui carbones euincunt. Magnam vero aquoſarum bilem ingredi copiam, ſenſus ipſi deprehendunt. Maximam hae ſiſtunt bilis partem pro vehiculo ſalinis et ſulphureo-terreis inſeruientes particulis. Nec difficile erit deprehendere bilem conſtituentium partium inter ſe inuicem proportionem; cum per examen chemicum pateat, vndecim bilis vncias, nouem aquae vn-

cias, olei duas cum dimidia, ſalis vnam, terrae vero mortuae vltra vnam cum dimidia continuiſſe drachmam. Variabit tamen partium bilem ingredientium proportio pro varietate corporis vnde fuit deſumta. Sic, experientia teſte, acriorem et hinc magis ſalinam bilem largiuntur animalia ferocia, voracia, et violento motu gaudentia, quam domeſtica, bene paſta, otioſa.

§. XIII.

Perſpectae hae bilis partes multum pepererunt negotii illis, qui eam ad corporum naturalium claſſem quandam referre anniſi ſunt. Quidam videntes facilem bilis inſpiſſatae deflagrationem eiusque aliqualem in ſpiritu vini ſolutionem, reſinarum claſſi eam inſerendam eſſe putauere. Sed rem prope explicatam perturbauit contraria experientia, quae monſtrat, bilem inſpiſſatam aeque a ſpiritu vini ac aqua ſolui; quale nunquam reſinoſo principio contingere ſolet. Obſtitit vlterius phaenomenon, quo videmus bilis a ſpiritu vini factam ſolutionem aquae inſtillatam neutiquam more aliarum reſinoſarum ſolutionum lacteſcentem producere colorem. Maxime autem refragrantem habuit haec ſententia bilis indolem ipſam, quippe ad alcali tam pronam, nunquam vero acidi notam exhibentem, quod tamen ex reſinis obtineri, experientia loquitur.

§. XIV.

Propitiorem ſibi veritatem experti ſunt, qui bilem ad ſaponum claſſem retulerunt, a bilis effectibus potiſſimum argumenta deducentes. Sunt certe ea tam euidentia, vt, cum ad ſcopi noſtri perſpicuitatem facere videantur: non incongruum erit illa paucis praelibaſſe.

Conſtat

Conſtat ſcilicet ex chemicis, omne corpus ex ſale fixo et oleo conflatum ſaponis nomen obtinuiſſe. Materialia vulgarium ſaponum principia lixiuium alcalinum & pinguedo conſtituunt. Huic inſeruiunt omnia pinguia tam animalia quam vegetabilia. Notum enim eſt, in Germania omnes animalium partes pingues, in Gallia vero et Italia oleum oliuarum ad ſaponem praeparandum adhiberi. Quae vulgari hoc modo fiunt, ad nobiliora transtulerunt chemici, ex ſale fixo et oleis ſtillatitiis, vel puriſſimo alcohole et ſale alcalino maſſam ſaponi aemulam conficientes. Natum ſic vidimus notum ſaponem Starkeyanum, et offam Helmontianam *). Quibus tandem ſaponis principiis inducti omne illud, quod ex oleo et ſale conſtat, promiscue ſaponem nuncupauerunt, vimque ei ſaponaceam attribuerunt.

§. XV.

Saponum virtutem abſterſoriam, reſoluentem et depurantem quotidiana monſtrat experientia. Decenti enim modo in eis praeſens ſalis et olei quantitas non modo ipſa aquae intimius connubium non reſpuit, ſed quoque alia pinguia cum aqua difficulter miſcibilia, aquae iungit, ſordes auffert, et fere vniuerſale, quo linteamina emaculantur, conſtituit adminiculum. Reſoluentem ſaponum vim exinde quoque perſpicere licet, quod mixti cum aquoſo vehiculo, auxiliante motu atque calore, corporum gummoſo-reſinoſorum et oleoſorum diſſolutionem praeſtent, quam virtutem inter praecipuas ſaponum poſuiſſe BOERHAVIUM, ex eius de ſaponum efficacia verbis elucet; quando dicit **): Compoſitum

*) BOERHAVE Elem. Chem. II. Proc. 74. 122.

**) id. ibid. Proc. 73.

poſitum hoc aqua mixtum in lixiuium ſatis forte ſaponaceum, calore, motu et contritu diſſoluit gummoſa, oleoſa, reſinoſa, pinguia, inſpiſſata, reddit eadem quoque ſaponacea, ſiue ſolubilia in aqua, hinc abluit, deterget, eluit, aperit, mundat, reſoluit. Atque huc redeunt omnes ſaponum dotes, neque minores expectare licebit a corporibus ſic dictis ſaponaceis. Non autem difficile fuit, inuenire talia, quae effectibus ſuis ſaponibus reſpondeant, cum eosdem a bile perfici, experientia docuerit. Quodſi enim primariam ſaponum, qua oleum cum aqua miſcibile reddunt, dotem contuemur: vtique eam bili competere, affirmandum erit; dum ea ipſa facilem cum aqua patitur mixtionem, ſine vlla oleoſarum partium ſeparatarum nota. Et abſterſoriam ex hac primaria dote prodeuntem bilis virtutem ſatis probant quotidiana experimenta, quibus e veſtibus laneis pingues felle bubulo elui maculas, conſpicimus. De eadem bilis virtute conuicti artifices lanas recentes oeſypo et oleo rancido conſpurcatas, et fila ſericea glutine bombicum naturali obducta, obque id tinctorum colores reſpuentia lixiuio bilioſo praeparant, vt remotis partibus glutinoſis, facilior coloris ad ea fiat adhaeſio inque poros ingreſſus. Nec deeſt bili penetrans et reſolutoria, quam in ſaponibus intuemur, vis; quippe eam longe efficaciorem deprehendimus. Scimus duriſſima gummata, reſinas, immo et gummeo-reſinoſa corpora, vti myrrham et bdellium ab ea ſolui, et ad tantam perduci tenuitatem, vt aquae patiantur connubium. Videmus pigmenta duriſſima, et gummata et glutina facillime aqua dilui, madidoque ſuſcipi penicillo, ſi antea terantur cum bile. *) Optime norunt, quantum

a bile

*) Boerhaue Prael. acad. Haller. T. I. §. 99.

a bile expectandum ſit, pilopaei, dum ad durabilem et exaltandam pilorum nigredinem miſcent bilem bouinam cum rebus nigrum exhibentibus colorem.

§. XVI.

Quae omnia ſicuti ſatis confirmant bilem effectibus ſuis ſaponi prorſus aemulam, imo in quibusdam eſſe ſuperiorem: ita non leuioris momenti argumentum accedere videtur ex ipſa eius natura deſumtum, quod, vt bilem ad ſaponum claſſem referamus, iubet. Omnia enim in bile detegimus ſaponum principia. Vidimus in ea contineri ſalem et oleum; vidimus ea ſoluta ſibique intimius mixta haerere in vehiculo aquoſo ſatis copioſo. Nil obſtabit ergo, quo minus bilem profiteamur ſaponem ex oleo animali et ſale teneriori magis volatili quam fixo conflatum iam ſolutum. Animalem illam eſſe nominandam ſaponem, eius ſuadet in corpore animali ortus. Quae autem circa proportionem partium bilem et ſaponem conſtituentium intercedit differentia, nihil derogare videtur bilis ſaponaceae efficaciae. Licet enim non negandum ſit, maiorem ſaponibus ineſſe ſalis copiam: huius tamen in bile defectum reſarciri, exinde liquet, quod ſcimus, oleum et ſalia bilem ingredientia, ob praegreſſam in corpore animali mutationem, longe ſubtiliorem indolem induiſſe.

SECTIO SECVNDA
DE BILIS INTERNO ET EXTERNO VSV MEDICO.

§. XVII.

Adſtructa ſic bilis ex principiis ſuis vera indole: liceret ſtatim accedere ad argumenti, de eius interno

 et

et externo medico vſu, pertractationem. Nec difficile eſſet, ex cognitis bilis principiis eius in corpus humanum vires medicamentoſas deducere. Sed ſuadet, aliam vt ingrediamur viam, quae bilem inter et pleraque alia medicamenta intercedit differentia; cum videamus, bilem omnem ex corpore animali deſumi, in quo non prorſus excrementitii ſed vtilis oeconomiae animali liquoris locum obtinet. Licebit ergo ex ea, quam corpori, in quo genita fuit, praeſtat, vtilitate varia deducere ad eius vires medicamentoſas illuſtrandas argumenta. Cum autem pari modo ex damnis, quae corpora animalia a bile ſub certis rationibus, interdum accipiunt, eius in corpus humanum vis elucere poſſit: ex illis quoque quae ad vſum noſtrum pertinent, deſumere, eo magis congruum eſſe videtur, quo propius vero eſt, ea omnia in explicatione virium bilis medicamentoſarum experientiae vices tenere poſſe. Non ſuperuacuum itaque fore confidimus: ſi de illis antea pauca in medium proferantur.

§. XVIII.

Quantum bilis ad chylificationem faciat, ex phyſiologicis abunde conſtat; nec opus erit proinde, plura, quam ſcopo noſtro inſeruientia inde mutuare. Notum ſcilicet eſt, cibos, poſtquam in ventriculo, tum per huius motum periſtalticum, tum per affuſam ſaliuam, eiusque menſtruum ita mutati fuere, vt in pultiformem redacti conſiſtentiam chymi ferant nomen, ex ventriculo in duodenum transire. Conſtituunt cibi ſub hoc chymi nomine maſſam quidem magis diſſolutam, partesque ſuas magis inter ſe mixtas, nondum tamen qualitates habentem, quae ad chylum et inde pendens corporis nutri-

nutrimentum constituendum requiruntur. Deest enim adhuc decens fluiditas et intimior partium sulphurearum et aquearum inter se mixtio; cum chymus adhuc crudis, acidis et caseosis scateat partibus. Simulac autem in duodeno ei adfusa bilis, proque huius diluitione liquor pancreaticus; magna illi contingit substantiae mutatio, pro qua consistentiam fluidiorem, magis homogeneam et colorem magis lacteum acquirit, et tunc sub chyli nomine venit. Nemo negat, hancce mutationem fere vnice deberi bili admixtae, quae fusis partibus chymi pinguibus, crudis resolutis, et ad maiorem fluiditatem redactis, per saponaceam suam vim eas aqueis admiscet, minimarum eius partium praestat inter se inuicem coniunctionem, grossiorum a tenuibus separationem, et sic ad tantam perducit tenuitatem, vt per vasa lactea sine impedimento transire possint.

§. XIX.

Nec his solis continetur bilis in corpore animali vtilitas. Continuo generatur in tractu intestinorum mucus a crassiori chyli relicta parte residuus; qui breui tempore accumulatus varia damna praecipue autem osculorum vasorum lacteorum obstipationem efficeret, absorptionem chyli plenarie impediens. His damnis a sapientissimo creatore optime prospectum fuit, dum praeter lympham intestinalem, bilem praecipue hepaticam continuo fluxu ad ea loca pertingere curauit, quae incidendo, soluendo muci tenaciorem ad parietes adhaesionem remouet, eumque ad excretionem aptum reddit. Et eodem iure scimus bili praecipue cysticae acriori deberi excretionis aluinae vegetiorem promotionem, eamque ob id a veteribus clysteris naturalis nomen sortitam fuisse.

fuiſſe. Cum autem aluinae excretionis et ante illam excrementorum per inteſtina tranſitus, praecipuam agnoſcamus cauſam motum periſtalticum inteſtinorum: facile cognoſcimus, opem, quam huic affert bilis, a leni fibrarum inteſtinalium irritatione ad contractionem ſufficientem deducendam eſſe. Quae omnia quam veritati conſentanea ſint, abunde teſtantur ictericorum triſtes et longae aluinae excretionis obſtipationes, quas nulla arte emendari ſcimus, quam reſtituta bile, aut in eius locum ſubſtitutis medicamentis illi aemulis.

§. XX.

Progredimur ad varia, quae a bile certis ſub circumſtantiis in corpore humano oriri ſolent, damna. Neminem latere poſſunt, quae contingunt, ſi bilis per iram minus tempeſtiue maiorique copia ex ſuis effuſa ductibus in inteſtinorum canali ſtagnat, et extra propria vaſa conſtituta, mora et admixtis aliis humoribus acriorem acquirit indolem. Docet enim quotidiana experientia, exinde peſſima pathemata, nauſeas, vomitum, colicos cardialgicosque dolores, praecordiorum anxietates et diarrhoeas ſuboriri. Cum autem omnes hi affectus debeantur ſpaſmis canalis inteſtinorum et ventriculi: in propatulo erit, bilem his progignendis ſtimulando, et vellicando inteſtinorum parietes fauere.

§. XXI.

Quodſi ex omnibus huc vsque de bilis in corpore humano effectibus, dictis vim, quam in illud exſerit, deriuare volumus: eam omnem vel ſtimulantem deprehendimus vel reſoluentem. Siue enim intueamur inſignem, quam affert chylificationi, opem et debitam alui ab ea pendentem

tem

tem excretionem; siue respiciamus omnia a bile in corpore humano vel praeternaturaliter aucta, vel constituta, manantia mala: semper ea vel auctae fibrarum ex stimulo actioni vel potenti fluidorum dissolutioni tribuenda erunt. Licebit itaque nullas alias bilis in corpus humanum agnoscere vires, praeter eas, quas iam docuit experientia, ex recensitis effectibus, generaliores, et illas, quas bilis cognita indoles ad corporis humani varias rationes relata nobis specialiores suppeditabit.

§. XXII.

Deberi autem bili locum in classe medicamentorum stimulantium et resoluentium, suadet non solum vis eius in corpore ex quo desumitur, medicamentosa, sed ipsa eius natura in praecedentibus perspecta cumque requisitis medicamenti stimulantis et resoluentis comparata. Viget enim semper in fibris corporis humani vis contractilis, pro qua sese vel actu contrahunt, vel ad contractionem pronae existunt. Non moremur circa peculiarem eius rationem, quae illum vel vitalitatis vel elasticitatis sobolem esse docet; sufficit annotasse, omne quod corpori applicatum motum illum fibrarum contractilem augere valeat, vel in toto vel in parte, stimulantis nomen obtinere. Cum autem stimulantium in fibras actio proficiscatur ab irritatione; et haec a particularum singulari mole, figura, densitate, grauitate specifica, maiori vel minori adhaesionis gradu deriuetur: varia vtique stimulantium genera nata fuerunt. Primum fere haec inter locum obtinent salia, vel per se, vel sulphureis partibus iuncta, subque saponum nomine venientia, quae ob singularem suam rationem prae aliis ad irritationem prona se sistunt.

§. XXIII.

Quae omnia autem quam egregie quadrent ad bilem, non eſt, vt prolixius inquiramus. Salem enim in illa contineri eumque ſumme attenuatum alcalicae volatilis indolis, hinc ad exſtimulandum motum fibrarum oſcillatorium aptiſſimum, ex ſuperioribus amplius latere nequit. Nec per eius cum oleoſis et aquoſis particulis ſaponiformem coniunctionem ſtimulanti eius virtuti aliquid decedere, vt praeiudicemus, fas eſt; cum certo certius ſit, eo maiorem a ſale exſpectandam eſſe actionem, quo melius ſolutus ad corpus accedit. Suboleoſis autem ſalem bilis cingentibus particulis, vti in omnibus ſaponibus, eius vis aliquantum moderatur, vt eo blandius rem ſuam in corpore peragere poſſit.

§. XXIV.

Quemadmodum leniter ſtimulans bilis virtus ad ſolidas corporis potiſſimum pertinet partes: ita attenuans et reſoluens eius, quam nunc vlterius proſequamur, vis, fluidis opitulatur. Requiritur ſcilicet a medicamento reſoluente, vt cuiuscunque noſtri corporis humoris maiorem, quam pro ſtatu naturali, cohaeſionem imminuat, eumque ad decentem et priſtinam reducat fluiditatem. Pro varia autem maioris humorum cohaeſionis ratione, proque humorum diuerſitate, varia quoque huic ſcopo inſeruiunt medicamenta. Sic alia per ſolam leuiorum inter arctius cohaerentes, particularum interpoſitionem, alia per earum diuiſionem, eorum reſolutionem praeſtant. Vti illis aqua ſimplex: ſic his omnis generis ſales adnumerantur. Vtroque vero modo ad reſoluendos humores facere viſa ſunt omnia ex ſalibus et oleo compoſita, ſeu ſaponacea. Oleoſa enim horum

pars

pars, quae ope ſalis iuncti apta reddita vt humorum ingredi poſſit arctiorem nexum, ſimul leniter moderatur ſalis actionem, et ſeſe interponendo, eadem ratione, qua ſalis actio, diuidendo apprime reſolutoriam vim exercere valet. Tantum ergo abeſt, vt denegemus bili reſoluentem potentiam, vt potius eam inſignem profiteamur. Praeterquam enim, quod bilis more omnium ſtimulantium, ob vim leniter ſtimulantem et inde auctam vaſorum in contenta fluida actionem iam reſoluendis viſcidis et concretis faueat: ob ſaponaceam ſuam quoque egregiam indolem omni ratione reſoluendis corporis fluidis conferet opem; cum omnes, quos extra corpus humanum exſerit, effectus principio ſaponaceo debeantur, et in his ea aequet vel prorſus ſuperet ſapones. Denique bili attenuans denegari nequit in corpore humano potentia; dum reſoluentem eius agnoſcimus virtutem, cuius cum attenuante inſeparabilem nexum quilibet perſpicit.

§. XXV.

Nec bilis ergo indoles repugnauit, quando ei ſtimulantem et reſoluentem aſſignare in corpus noſtrum virtutem anniſi fuimus. Aeque fauentem expectamus experientiam atque rationem; ſi relicta bilis generaliori hac agendi ratione, ad ſpecialiora tranſeamus. Scilicet in doctrina de medicamentorum viribus et agendi ratione, cum ex generalioribus eorum viribus ſpecialiores deducantur, et per illas variae medicamentorum diſtinctiones et claſſes ortae fuerint: videndum erit, in quibus bili noſtrae locus concedendus ſit; vt eluceſcat, quibus ſub nominibus medicamenti vicem ſuſtinere queat.

§. XXVI.

Atque vt incipiamus ab emolliente virtute, ea prorſus bili denegari nequit. Quodſi enim omnis emollitio in eo conſiſtit, vt, quidquid durum perque cohaeſionem maiorem in unam molem compactum, ad priſtinam conſiſtentiae integritatem reducatur; hoc autem optime a fluidis ex animali et vegetabili regno petitis, ſulphureis aqueis perficitur: fauebit omnino bilis oleoſa et aquoſa pars emolliendis duris. Quemadmodum autem emollientia medicamenta magnam alunt cum abſtergentibus affinitatem: ita bilem horum quoque claſſi inſerendam eſſe, non dubitamus. Abſtergentis enim medicamenti actio in eo verſatur, vt omne quod corpori ob tenacitatem et viſcedinem adhaeret, ſaluo corpore, remoueatur. Tenacitas abſtergendi pendet praecipue ab oleoſarum partium maiori copia. Cum vero in eius imminutione occupari debeat medicamenti abſtergentis actio: facile perſpicitur, eam non tantum in illius emollitione, ſed quoque reſolutione ponendam eſſe. Optime autem huic ſcopo inſeruiunt ſalia praecipue alcalica, ſi ſimul emollientibus nupta fuerint; qualia ſunt ſaponacea, quae molliendo & ſimul reſoluendo rem ſuam peragunt. Sed omnia haec requiſita bili conuenire, eo certius licet asſerere, quo magis in ſuperioribus confirmatum fuit, illam eſſe ſaponem optime reſoluentem, cuius ſalina portio alcalicorum generi quam proxima, oleoſa vero et aquea ad emolliendum aptiſſima exiſtat. Nec impedit quicquam, quo minus ob maiorem aqueae portionis in bile quantitatem emundantibus quoque pharmacis eam annumeremus; cum quodlibet abſtergens, accedente paulo liberaliori aquoſo vehiculo, emundantis nomen mereatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Datur inter medicamenta quae aluinae excretionis promouendae gratia exhibentur, quaedam ſpecies, quae eccoprotica denominatur. Sunt haec omnium, quae aluum mouent leniſſima, vixque quidquam eliminant praeter ventriculi et inteſtinorum contenta. Compertum eſt, ea vel lubricando inteſtinorum canalem, vel leniter ſtimulando id praeſtare. Cum ergo eiusmodi medicamenta principio vel oleoſo aquoſo vel leni iunctae acrimoniae actiuitatem debeant: neſcio, an ſine ingrati animi ſuſpicione bili locum in hac medicamentorum claſſe recuſemus, quam, ſi rite eſt conſtituta, optimum eccoproticum in corpore ex ſuperioribus agnouimus. Manebit itaque et haec illi virtus, quam optime tuebitur, per adſtructam vim leniter ſtimulantem et emollientem.

§. XXVIII.

De aperiente bilis virtute nemo dubitabit, qui perpendet, obſtructorum vaſorum omnem apertionem in obſtruentis attenuatione eiusque per vaſorum vegetiorem actionem liberiori tranſitu conſiſtere; eadem autem a bile ob vim viſcida reſoluentem et ſtimulantem expectari debere; cum ex ſupra dictis inſuper ſatis certum ſit, quod a bilis decenti in corpore conſtitutione maxima pars aequabilis chyli et hinc ſanguinis mixtionis eiusque fluiditatis dependeat. Impoſſibile enim eſt primas emendari vias, quin ſimul emendentur ſecundae. Nec deerit bili diſcutiens virtus, quam in ſubſiſtentis humoris reſolutione et cum reliquis corporis fluidis commixtione per externa applicata, poſitam eſſe, nouimus. Omnia enim interna ſtimulantia externe eſſe reſoluentia, vſus iam diu docuit. Reſoluens autem, quae magna bili ineſt vis,

 comi-

comitem ſimul habet egregiam ad penetrandum aptitudinem. Niſi enim hanc in bile intueamur, cum multis conflictabimur difficultatibus circa explicationem phaenomeni, quo plerumque videmus, omnes cyſtidi felleae accumbentes infimi ventris partes, quibus ſaepiſſime ne ipſum quidem peritonaeum, et muſculi abdominis praecipue recti excipiuntur, bilis flauedine tinctas eſſe.

§. XXIX.

Quia bilis aſſumta impedimenta chylificationis remouet, tam faeces inertes haeſitantes, ac omnem viſcedinem in tractu inteſtinorum ortam ſoluendo et expellendo, quam reſarciendo ipſum bonae bilis defectum: etiam inter emmenagoga ſuum obtinere poterit locum. Ad deficientia enim reuocanda menſtrua requiruntur, quae plethoram ingignere et vaſa vteri ad ſanguinis excretionem determinare valent. Plethorae autem ingignendae optime fauent ea, quae viſceribus chylificationi inſeruientibus robur addendo, ſimul omnia boni elaborandi chyli impedimenta remouent. Aemulabitur itaque bilis felici cum ſucceſſu omnia huic negotio opportuna remedia, quorum in numero certe principatum obtinuit aloë, cuius cum bile conuenientiam optime ab Ill. et B. WEDELIO delineatam deprehendimus; quando dicit: Aloë balſamica eſt, et fel quoddam naturae, bili corporis balſamo tam ſimilis, ſi concretionem excipias, ac ouum ouo. *)

§. XXX.

Alia ex his prodit bilis medicamentoſa virtus, quae eſt carminatiua. Scimus inter potiſſimas flatuum in primis

*) in Amoen. M. M. p. 171.

mis viis cauſas militare ſaburram viſcidam eis incluſam, cum ventriculi et inteſtinorum atonia. Nec alia ratione his tollendis proſpicitur, quam exhibitis leniter ſtimulantibus, viſcidum incidentibus. Merito igitur bili conceditur inter carminatiua locus. Nec minori iure bili concedenda erit anthelmintica virtus. Qui enim frequentiſſime inteſtinorum tractum inhabitant, vermes, ſicuti ortum ex alimentis: ita nutrimentum ſuum a muco chyloſo in inteſtinis reſidente trahunt. Quando igitur animus eſt, remouere a corpore peregrinos hoſce hoſpites: hoc fiet, vel deſtruendo eorum corpora per immediate applicata medicamenta, vel eis detrahendo ſolitum alimentum, eosque enecatos per aluum eliminando. Proſtant varia his ſcopis inſeruientia pharmaca, eisque praecipue annumerantur amara. Sed parum cedit efficacia bilis, quae non tantum deſtruendo viſcidum vermium alimentum, ſed ſtimulando quoque inteſtinorum fabricam, ad eos enecatos expellendos, optime ſatisfaciet. Sed denique non inepte vices abſorbentis medicamenti bilis ſuſtinet; cum eam omni acido contrariam, deficiente vero illa, ſtatim acidum in primis viis praedominari deprehendamus.

§. XXXI.

Quam variis ſub nominibus, bilis ſi interne vel externe adhibeatur, medicamenti vicem gerere poſſit, antecedentia monſtrarunt. Supereſt, vt, quae hactenus generatim de bilis vſu dicta fuere, ad ſpecialiora transferantur, et illi commemorentur, morbi, quibus bilis medela conueniat. Liceat autem antea quaedam inſerere, quae praemonenda videntur, de modo fella pro vſu aſſeruandi, deque praecipuis eorum, quae in re medica

dica adhibentur. Bilis ſcilicet omnis, vtpote humor animalis, ad putredinem quam maxime pronus, nauſeoſo, quem inde recipit odore, minus apta ad iucundam per illam inſtituendam curationem, ita praeparari debet, vt imminens arceatur eius putredo, vtque ſine illa adſeruari queat. Optime id perficitur per eius in formam extracti inſpiſſationem, ex quo pilulae pro vſu formari poſſunt, quodque, ſi fluidam adhibere bilem animus eſt, facillime aqua ſoluitur. Idem obtinebitur, adiecta parua quantitate fluidi cuiusdam aromatici, quale eſt ſpiritus vini, ſal volatile oleoſum; hac tamen cum differentia, quod fella ſic alterata non ad quemuis vſum, praecipue externum apta inueniantur. Circa fellum electionem et diuerſitatem notandum occurrit, quod, quo firmiori valetudine gaudeat animal, quo magis adultum, et quo voracius appetat, eo acrior et amarior expectanda ſit bilis, quodque eam ob rem fella lucii piſcis, anguillae, carpionis, tauri et apri praecipue in vſum vocentur.

§. XXXII.

Cum ad morbos, pro inſtituto noſtro, nunc accedendum ſit aſſignandos, quibus bilis medelam afferat: merito vetuſto innitimur canoni: quod contraria contrariis curanda ſint, atque, dum ex ſuperioribus non ignoratur, bilis in corpus humanum actionem in leni ſolidorum ſtimulatione, viſcidi autem reſolutione collocandam eſſe: omni bilem opitulari poſſe morbo, in quo languens ſolidorum actio et fluidorum viſcedo adfuerit, profitemur. Ex eadem vero ratione non licebit aliam, cui bilem opponamus, ſolidorum, agnoſcere debilitatem, quam quae a diuturnis cauſis profecta, languenti cordis et vaſorum actioni debeatur. Nec omnem humorum

viſce-

viſcedinem bili ſolubilem admittere licebit: cum eam duplicem in noſtro corpore obuenire poſſe obſeruemus, vnam calidam, alteram frigidam, ſeu cacochymiam ſic dictam pituitoſam, quae ſola opem a bile expectare poſſit. Quemadmodum autem ſolidarum corporis noſtri partium debiliorem compagem vix concipere nobis poſſumus, quin ſimul ad viſcera ſeſe extendat debilitas: ſic facili negotio perſpicitur, iisdem quoque poſſe bilem aſſumtam opitulari. Pari ratione dum frigida humorum viſcedo raro ſine acidi in illis praedominio, acidaque eorum vappeſcentia adeſt: et huic bilis medicari poterit, vtpote acido plane contraria.

§. XXXIII.

Tam experientia, quam qui inter functiones corporis inſeparabilis viget, nexus commonſtrant, quod, exiſtente ſanguinis degeneratione, omnia quae inde ſecernuntur praeſertim chylificationi inſeruientia fluida eadem labe afficiantur, quodque vice verſa, quomodocunque alteratis illis liquoribus, qui chylificationi deſeruiunt, ſtatim maſſae ſanguineae et inde oriundis humoribus labes affricetur. Ad bilem vtpote primarium, quo chylificatio et omnia inde pendentia bona nituntur, e ſanguine ſecretum liquorem, praecipue mirabilem hunc pertinere nexum, ex iisdem rationibus compertum eſt. Siue enim ſanguinem magis ad alcalicam degenerationem, ſiue ad acidam et frigidam viſcedinem inclinare videas: ſtatim eadem vitia ad bilem tranſiiſſe, et viciſſim, ſiue bilem vel quantitate vel qualitate peccantem deprehendes: magnam quoque ad maſſam ſanguineam inde redundare alterationem, inde oriundi effectus probant. Speciatim vero multifaria ratione docemur, infeſtante

 acida

acida, pituitosa sanguinem viscedine; bilis naturam inuerti, vimque eius plane reddi inertem; e contrario autem, vel deficiente, vel inerte reddita bile, statim oriri in sanguine statum viscidum inertem et ad acidum inclinantem. Nec hoc aliter euenire poterit: cum satis confirmatum sit, minus actiua existente, vel prorsus deficiente bile, chylum elaborari vel parcum, vel inertem, crassiorem, minus rite mixtum; qualem autem chylum, talem esse sanguinem. Qua in re pulchre consentientem habemus BOERHAVIVM *), quamprimum, inquientem, bilis languet, nata est causa morbi alicuius chronici; chylus enim non potest legitime praeparari, inde hydrops, cachexia, leucophlegmatia. Error enim in primis viis commissus non reparatur in reliquis.

§. XXXIV.

Cum ergo constet, bilis inertiam vel inopiam tam constantem cum sanguinis degeneratione pituitosa, acida alere nexum; et per experientiam satis confirmatum sit, rarissime eam infestare massam sanguineam, quin praecesserit bilis ex quacunque causa inertia aut inopia: eo certius nobis fauentem habemus veritatem, quando bilem assumtam pituitosae sanguinis viscedini medicinam afferre, affirmauimus. Rationi enim maxime videtur consentaneum supplere vtilem, qui in corpore virtute sua destitutus, vel parce vel plane non adest, liquorem. Sed sicuti inertiam vel penuriam bilis frequentissime pro fonte agnoscit sanguinis pituitosa viscedo, et huic plerique morbi sic dicti chronici suos debent natales, prout haec vel stagnando, vel obstruendo viscera, et totum corpus labefactauit: ita speciatim

*) Prael. Acad. HALLER T. I. p. 99.

tim bilis adhibitio his, et praecipue in eorum principio conueniet.

§. XXXV.

Allaborandum itaque nunc erit, vt ſpecialiſſime inquiramus, in quibus tam internis quam externis morbis bilis medicamenti locum tueri poſſit; quibus, et quo iure a practicis medicinae auctoribus bilis efficacia commendata, quidque per experientiam de bilis interno et externo vſu deprehenſum fuerit. Primo quidem nominandae veniunt inter morbos internos, febres intermittentes, in quibus non immerito a bile ſperatur ſolamen. Quotquot enim numerantur earum ſpecies: eas omnes parum diſtantes cauſas proximiores agnoſcere, experientia docuit; nec opus eſt, vt poſt FREINDII *) et BOERHAVII **) aſſerta, omnem intermittentium febrium cauſam in lentore et viſcoſitate ſanguinis capillaria corporis vaſa obſidente, poſitam eſſe, fuſius deducamus. Probant ſane hanc febrium intermittentium theoriam omnia eas praecedentia et concomitantia pathemata, quorum primaria ſpeciatim in tertianis, in viſcidorum et concoctionem reſpuentium ciborum in tractu inteſtinorum colluuie; in quartanis vero in viſcerum imi ventris a denſo et viſcido ſanguine oppilatione, quaerenda eſſe, experientia probauit. His cauſis ſuperſtructa rationalis intermittentium therapia poſtulat, vt praecipue lentori ſanguinis et viſcidae in primis viis ſtabulanti illumque fouenti cruditati obuiam eatur. Factum inde eſt, quod per medicamenta leniter ſtimulantia, aromatica, ſaponacea, aperientia et diluentia haec curatio

a pra-

*) in Emmenologiae cap. 7.

**) Aphorism. 755.

a practicis tentata, et respondente felici successu, absoluta fuerit. Praecipuas vero videas in hac therapia tribui laudes omnibus amaris pharmacis ex quacunque rei medicamentariae classe petitis. Non est autem, vt aliam comprobatae eorum efficaciae rationem quaeramus, quam pro qua bilis in his morbis languentis vel inertis virtutem deficientem suppleant atque restaurent. Sed ea ipsa amarorum in febribus intermittentibus praestantia non spernendum inter ea dignitatem conciliat ipsi bili ex alio animante desumtae, illisque substitutae, quam virtute longe superiorem deprehendimus. Immerito ergo excluderetur ex antifebrilium catalogo bilis vel sola, vel aliis suae indolis nupta, qualia sunt extractum aloes aquosum, gummi ammoniacum, galbanum, radix gentianae rubrae. Exhibeantur haec vel sub forma pilularum, vel in elixirii forma, aquis destillatis soluta. Sicuti vero optimum remedium intempestiue vel nimia quantitate sumtum medicamentosam suam virtutem exuere et damnum afferre solet: ita hoc quoque de bilis his in morbis vsu valebit. Quodsi enim ex epidemica febrium constitutione, vel aliis rationibus animaduertatur, febrem intermittentem magis ad continuae indolem accedere, vel loco cruditatum viscidarum, acidarum, biliosam primas vias inhabitare colluuiem: vti circa omnium stimulantium amarorum et resoluentium, sic etiam circa bilis vsum locum habebit cautio, vt suspensa eam adhibeamus manu, vel plane ab eius vsu desistamus. Ex iisdem quoque rationibus bilis exhibitionem tantum tempore apyrexiae concedi posse, videmus.

§. XXXVI.

Morbus hypochondriacus & hystericus, ex quo dimidiam partem morborum chronicorum ortum ducere SY-

DENHA-

DENHAMVS * pronunciauit, et qui mirabili ſymptomatum congerie aegrum diuexare ſolet, fere ſemper obſtructa viſcera, quorum numerum in feminis vterus auget, pro fomite habet. Nec vllum dubium relinquitur, quo minus bilis in eo accuſemus inertiam vel inopiam: cum omnia quae hanc produnt, ſigna, in his morbis conſpiciantur. Eo minori igitur cum haeſitatione bilem aſſumtam his morbis conuenire, aſſirmandum erit, quo maiori cum fiducia ab inſigni aperiente, abſtergente, et abſorbente eius virtute illud expectare licet. Implebit autem haec ab experientia iam comprobata medela, omnem expectationem, quando v. g. in liquore terrae ſol. tartar. ſoluta bilis in forma elixirii propinatur, cui, pro re nata, portio extracti cuiusdam amari, TRae antimonii, tartarii, ſalis volat. oleoſi, laudani liquidi Sydenh. adiici poteſt. Cachexiam, quam ex malo hypochondriaco-hyſterico ſaepe prodeuntem obſeruata docent, bilis inertiae ſaepiſſime deberi, et ob id, opem a bile aſſumta accipere, non eget vlteriore confirmatione; dum optime norunt practici, quantum ei conducant amara medicamenta. Per practicam certe experientiam conſtitit, eam cachexiae ſpeciem, quae ſuppreſſae menſtruae excretioni ortum debet, hac per adhibitam bilem reſtituta, feliciter e corpore ſublatam fuiſſe. Et ea, ſane ſolidarum partium atonia et ſanguinis iners viſcedo, quae cachexiae ideam abſoluit, ſi modo non ſummum obtinuerit gradum, et paulo diutius corpori inhaeſerit, non poteſt non a bilis ſtimulante et reſoluente indole recipere auxilium.

§. XXXVII.

Nec in hydrope, quem adultiorem cachexiam preſſo pede ſequi videmus, aliena eſſe medicamenta bilem recipientia, tam ipſius morbi natura, quam variae docent obſeruationes. Notum ſcilicet eſt, in hydrope laborare hu-

*) in Diſſ. epiſt. de paſſ. hyſter. p. 488.

mores feroso-lymphaticos tenacitate praecipua viscera obstruente, eosque, ob enatum inde impeditum lymphae circulum extrauasatos, vel adhuc in vasis stagnantes morbum producere; nec ignoratur, ferocis huius mali curationem in tenacioris lymphae resolutione, eiusque e corpore euacuatione positam esse. Inseruiunt his obtinendis maxime stimulantia, amara, lixiuiosa, et purgantia fortiora, phlegmagoga, et hydragoga dicta, quae, nisi stagnantes et extrauasati humores inflammantem iam acrimoniam conceperint, saepe satis prospere malum debellarunt. Nescio autem, annon ad bilem quoque in huius morbi principio inter reliqua eius medicamenta debitus pertineat locus: cum, ob stimulantem et resoluentem suam virtutem huic medelae non inepta videatur, et hanc ob rem a BOERHAVIO * phlegmagogis annumerata fuerit. Depraedicantur certe in commercio Litter. Norimb. contra hydropem varia composita medicamenta fellum satis spectabilem quantitatem recipientia, quae nostro de eorum in hydrope efficacia asserto fidem conciliabunt. Sic inuenimus pilulas contra hydropem, ex fellis bubuli duabus, extracti pareirae brauae vna, pulueris scorpionum et bufonum exsiccatorum dimidia parte concinnatas, quarum efficacia, si quae erit, maximam partem felli taurino debebitur: cum radicem pareirae brauae, scorpionum et bufonum puluerem, ob debilem vim diureticam, vix morbi vehementiae paria esse, videamus. Pari ratione alibi contra hydropem commendatae pilulae radicem Gin-Sem, cerebrum et fel suillum cum melle recipientes potissimas suas vires a felle suillo et radicis pretiosae additae indole roborante et leniter renum nerueas papillas stimulante, non vero ab obsoleto cerebro suillo mutuabuntur. Quod diuitibus ibidem in hydrope propinandum suadetur lapidis porcini infusum, vel ex eo, ope vini rhenani, vel spiritus salis ammoniaci, et paucis guttis spiritus vitrioli concinnata tinctura, vel vnice quoque a lapidis porcini partibus biliosis

*) in Tr. de viribus medic. p. m. 154.

liosis stimulantibus suam habebit efficaciam. Nec ineptam opitulando hydropi visam fuisse bilem KOENIGIO *, ex ipsius verbis colligi potest, quando dicit: Fel bouis eius balsamicam vim segnem in hydrope corrigit, si recenti ex tauro potetur, vel ex eius extracto cum spiritu vini facto pilulae pro vsu interno praeparentur.

§. XXXVIII.

Qui passim ad icterum profligandum commendatur, calculus felleus praecipue bouinus, vel per se, vel addito sale absynthii, centaur. minor. in vino sumendus, cum nihil aliud quam bilis sit coagulum, eius in hoc morbo assumtae efficaciam haud obscure probat. Chronicus icterus, inopiae vel plane defectus bilis comes, ab iisdem, quae hanc producunt, caussis oriundus, requiret certe bilis in eo deficientis succedaneum; quod optime per ingestam animalium bilem obtineri videtur. Videndum autem erit, vt morbi grauitati accommodata sit medela. Quando igitur scirrhus hepatis vel calculi maiores cystidem et ductus biliferos obsidentes, icteri caussam constituunt: vix biliosa haec medela sufficiet malo fere insuperabili; nisi ex chyli per bilem assumtam correctione, et inde oriundo boni sanguinis prouentu aliquod huius mali solamen proueniat. Plura vero licebit a bilis vsu promittere, quando constat, icterum ob viscidam et gypseam bilis consistentiam, cystidem et ductum cholodochum obsidentem, vel ob huius compressionem per viscidorum assumtorum saburram et lactis coagulum duodeno inhaerens, ingruisse; qualem icteri speciem recens natis infantibus familiarem BOERHAVIUS ** pronunciauit. His icteri speciebus vtique conueniet bilis internus vsus, si vel sola, vel, quod per experientiam commodius visum, cum extracto amaro et fuliginis splendentis particula in pilularum formam redacta, propinetur.

 §. XXXIX.

*) in Regno anim. p. m. 274.

**) Prael. acad. HALLER. p. 348.

§. XXXIX.

Quando autem lapidis bilis bouillae vel ipſius bilis ſpecifica in dyſenteria virtus a quibusdam depraedicatur: eam non aliam, quam aliorum amarorum medicamentorum eſſe, nec prius locum inuenire, quam ſuperato morbo, et relicta ex illo lienteria, paſſione coeliaca, aliaque bilis deprauatione et debilitate, facile deprehenditur. Nec alia, ſine grauiori in ſpecifica indulgentiae ſuſpicione, bilis admittenda erit efficacia, quam ex eius ſtimulante et reſoluente vi proueniens: quando adeo in febribus malignis fel ſerpentum et viperarum, vel lapidem porcinum commendatum videmus. Quo autem iure, et quibus ſub cautionibus his morbis conueniat ſtimulans eiusmodi medicamentum, docebit natura et decurſus eorum notitia. Maiorem vero et tutiorem bilis efficaciam in morbis infantum tenellorum expectare licebit. Quorum plurimi vti a congrumato et aceſcente primis viis inhaerente lacte originem trahunt: ita hoc attenuato et euacuato, curari debent. Quantum autem coagulo lactis reſoluendo inſeruiat bilis, vario modo conuincimur. Dum, inquit Ill. van SWITEN, * vituli ſolo adhuc lacte vtuntur, illud in primo ventriculo horum animalium iam in caſeum et ſerum diuiditur: caſeus in ſecundum et tertium delatus ventriculum, ſenſim fit lentior et craſſior, in quarto ventriculo exſuccus fere: ſed dum huic caſeo in duodenum delato miſcetur bilis: totus reſoluitur; tantam habet efficaciam bilis. Aliam de eodem momento huic adiunctam legimus obſeruationem in Prael. academ. BOERHAVII ab Ill. de HALLER editis **: vir nobiliſſimus ad podagram ſuperandam vtebatur ſolo lacte pro perpetuo cibo. Poſt aliquantum temporis quaeſtus eſt idem, ſe ad mortis viciniam vsque angi, tandemque euomuit maximas turundas caſei ab oeſophago in rotunditatem preſſi. Vidit BOERHAVIVS, ea mala fieri ex defectu bilis, dedit ſaponem venetum

* Comm. in Aph. BOERH. ad §. 69.
** T. I. §. 99.

netum cum bile permixtum, et protinus lac absque noxa tolerauit. Quae cum ita ſint: non dubitabimus opponere huic lactis coagulo biliosa, ſaponacea, eisque resarcire oppreſſae, inertis, et ſaepe, ob ductus cholodochi a congrumato lacte compreſſionem, deficientis in tenellis bilis virtutem; dum imprimis ſuffragantem habemus Ill. van SVITEN, docentem *: Si bilis aliorum animalium inſpiſſata parum in minima catapotia redacta, parca copia quotidie ingeratur, ſaepe ſatis cito hoc malum ſuperari. Nec hac ratione antepileptica bili a permultis adſcripta virtus ſuo caret fundamento: cum experientia monſtret, pleramque infantum epilepſiam ab acidis et caſeoſis faecibus, quibus inteſtinorum obſidetur canalis, repeti debere; licet eam in omni epilepſiae ſpecie ſpecificam futuram non ſpondeamus.

§. XXXX.

Non vero reticenda eſt circa bilis internum vſum, virtus eius partum facilitans, ab Helmontio aliisque in ſiccato hepate et bile anguillae ad prodigium vsque depraedicata. Licet illam bili, ob ſtimulantem eius vim, conuenire, quilibet conſpiciat: tantum tamen abeſt, vt abſolutiſſimam eam et ſpecificam cum plurimis Helmontium ſequentibus extollamus. Partus enim difficultas vti a plurimis ſibique plane oppoſitis cauſis prodire ſolet: ſic variam pro earum diuerſitate poſcit medelam; quae generatim, ſi ad internas partus difficilis reſpicias cauſas, vel ab emollientibus, relaxantibus, vel confortantibus, vel antiſpasmodicis, vel ſtimulantibus medicamentis deſumenda eſt. Sit ergo inter ſtimulantia partum promouentia remedia, hepati anguillae, et cuiuis alii animalium bili debitus locus.

§. XLI.

Externi fellum vſus cum nunc iniicienda ſit mentio: eum, tum ex antiquioribus tum recentioribus medicinae auctoribus non ſpernendum eſſe, deprehendimus. Quam autem in ſuperioribus ei aſſignauimus emollientem, diſcu-

 tien-

* L. c. §. 63.

tientem et resoluentem virtutem, eam ab ipsa experientia comprobatam intueri licet. Scimus, variorum tumorum sic dictorum frigidorum ortum plerumque a subsistente in vasis, vel per se, vel vim illatam externam debilibus materia lenta, viscida, repetendum esse. Quae si glandulam, venas lymphaticas, folliculos cutaneos, tendinum vaginas et cellulas adipis occupat, varia tumorum producuntur genera, vel sub tumoris scirrhosi, vel atheromatis, vel steatomatis, vel meliceritis, vel ganglii nomine venientia. Ob vim saponaceam insignem glutinosa soluentem, his resoluendis non impar visa fuit animalium bilis, et applicata expectationi satisfecit. Commode autem his vsibus inseruit: si exceptum e. g. fel bubulum sapone veneto, adiecta aqua, in pultiformem consistentiam redacto, in vnguenti forma applicetur. Coniungi potest, vbi maiori emollitione opus est, olei amygdalarum, oliuarum vel lini, ad odoris vero suauitatem, olei destillati cuiusdam portio. Huius vnguenti efficacia ex sequentibus colligi poterit obseruationibus, quas imprimis debemus Excell. D. PITSCHELIO, in illustri collegio medico-chirurgico Dresdensi, Anatomico regio. Ganglion in dorso manus sine dubio vaginam tendinis extensoris communis obsidens, post frequentem vnguenti huius cum frictione applicationem, feliciter depulsum fuit. Alius tumor infra cordis scrobiculum versus sinistrum abdominis latus, paulo altius eius integumentis et fortassis ipso peritonaeo inhaerens, mobilis, et mediocris pomi magnitudinem aequans, solo hoc vnguento resolutus spatio trium hebdomadum, euanuit. Tumor cysticus nucem iuglandem aequans, palmae prope medium digitum inhaerens, eodem per lenem frictionem superhabito vnguento, aperiebatur, fundebat paucum ichorem, et septicorum et scalpelli ope remotis, quibus constabat stratis, lamellis ceparum a se inuicem separatis similibus, applicato per totum curationis decursum vnguento, exstirpabatur. Aeque fausto cum successu biliosi huius vnguenti resoluentem et discutientem virtutem experti

experti sunt hepatis et lienis tumores et indurationes. Pari modo infantibus, quorum venter, ob incipientem glandularum mesaraicarum obstructionem, durus et tumens imminentem monstrabat atrophiam, illa non solum ex huius vnguenti applicatione, contingebat bilis aperiens et resoluens efficacia, vt venter pauco temporis interuallo decresceret, sed quoque aluus semper aperta seruaretur. Sic puer decem annorum, glandulis mesaraicis obstructis laborans, vti his affectibus non insolitum, simul satis magna infestabatur struma. Propinabantur fons selteranus cum lacte, et pulueres aperientes; Externe sedulo applicabatur laudatum vnguentum, et struma cum omnibus glandularum tumoribus non multo post euanuit. Solent saepe intensiorem colicum dolorem, praecipue autem eam eius speciem, quam colicam pictonum nominant, insequi extremarum corporis partium paralyses et contabescentiae. Paresis nominatur hic affectus, et a materia ex praecedente diro colicae affectu residua, ad extremitates vero delata, plerumque deriuatur. Et huic morbo bilem in laudato vnguento opem attulisse, sequens testatur venerandi PARENTIS obseruatio: Vir post intensiorem colicae haemorrhoidalis paroxysmum, ope conuenientis medelae exantlatum, corripiebatur dextri brachii totali paralysi, quam eius quoque lenta insequebatur contabescentia. Opponebantur quidem huic affectui interna viscera obstructa respicientia remedia, externa roborantia spirituosa linimenta. Tandem inuncto per aliquot menses quotidie vnguento, euanescente brachii contabescentia, pededentim fere omnis motus rediit integritas, relicta tantum aliquali digitorum debilitate.

§. XLII.

Inde a vetustissimo ad nostra vsque, tempore, ophthalmicis annumerata fuit remediis animalium bilis; docentibus id variis fella recipientibus compositionibus medicamentorum ophthalmicorum. Imprimis autem huic scopo accomodata perhibentur fella viperae, auium et anguil-

anguillae. Vti oculorum morbi, quibus commendantur, panniculi, cicatrices, humoris aquei a crassa materia perturbationes, omnino lenia detergentia et resoluentia requirunt: ita fellum in his remouendis efficacia plane deneganda non videtur; cum detergens et resoluens eorum vis satis comprobata, et in his quoque morbis experta constet. Nouimus enim corneae maculis post variolas, fella carpionis et lucii piscis cum aqua rosarum diluta, optimo cum successu applicata fuisse. Eo felicior autem exspectandus erit huius per fella medicationis successus; quo magis recens fuerit morbus, cui eam opponere animus est; et quo maior adhibeatur cura, ne in sensibilioribus, adhibitis acrioribus fellum speciebus, oculus nimis irritetur; quod optime, adiecto melle, aquis destillatis, mucilagine ex gummi tragacant. sem. cydon. plantaginis, prohibebitur. Nec quod fellibus in surditate, tinnitu et vermibus aurium adscriptum fuit, suo caret fundamento. Nouimus enim, illa vitia saepe a viscido pituitoso obstruente et auris canalem obsidente ortum ducere, huic autem omne fel ob resoluentes vires opponi posse. Non immerito ergo BONETVS, in Polyalthe, de fellum hac virtute depraedicat, quod prae caeteris omnibus viscosa fluida faciant, et in cerumine aurium magnas habeant vires, quodque fel leporinum cum anatica mellis virginei portione, in surditate conferat. Quod autem bilis vel sola, vel in noto vnguento contra vermes, infimo ventri illita, aut clysteribus addita aluum stimulare et vermes expellere possit, quodque suppositoria ex sapone veneto, et felle, vel surfuribus triticeis cum felle et vitello oui remixtis, vel ex spermate ceti et oleo colocint. concinnata, pertinacissimam alui obstructionem superare possint, in vulgus notum est. Non tamen absonum erit, data occasione, vocare illa in vsum, quippe praesentaneae efficaciae nunquam non deprehensa.

§. XLIII.

Denique cum bilis in resoluendo lactis coagulo in superiori-

rioribus tam euidens fuit efficacia: merito vlteriori experientiae committitur coniectura; annon idem a bile externe applicata sit expectandus effectus, in tumoribus mammarum *frigidis*, a lactis coagulo oriundis. Difficillimum certe circa haec tumorum genera negotium, rara per alia remedia eorum discussio, frequentissima autem suppuratio, hancque insequentia mala saepe satis periculosa, suadent, vt inquiratur in remedium, per quod lactis coagulati resolutio, et hinc tumoris frequentior discussio obtineri possit. Quod vero iam antiquiores medici hanc in bile virtutem sint suspicati, exinde liquere videtur, quod bilem, licet aliis remixtam horum tumorum remediis annumerauerint, quos inter nominandus venit VALESCVS de TARANTA, qui huic tumori emplastrum, vel linimentum, ex thure, myrrha, storace, calaminta, et felle bouis concinnandum destinauit; in Phil. Pharm. L. 3. c. 16.

§. XLIV.

Qui cosmeticorum classi bilem inseruerunt, a saponacea eius indole commoti, recte quidem ab illa expectarunt cutem dealbantem et emollientem virtutem, quam quilibet digitis bilem tractans experiri potest; dum autem maiorem ei ad hoc tribuere aptitudinem, quando essentia per spiritum vini e felle parata adhiberetur: nimis indulsisse coniecturae videntur; cum experientia monstret, bilis in spiritu vini solutionem difficulter et non perfectam obtineri. Magis arrident, quae HOMBERGIVS de bilis bouinae in abigendis illis cutis defoedationibus, quae ex obstructis glandulis sebaceis, praecipue in facie, et nasu prouenire solent, efficacia commemorat. De liquore enim post bilis per alumen praecipitationem, residuo, quieti et solis radiis exposito, et ab impuritatibus mundato, cumque oleo tartari per deliqu. remixto praedicat, quod, si saepius affecto loco admoueatur, vsque dum eius compareat rubedo: omnis folliculo inhaerens viscida materia resoluatur, et sub forma farinae abeat.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

DOCTORANDO

S. P. D.

PRAESES.

Praeclaram aeque eruditionem et vitae integritatem in honorem CELEBERRIMI PARENTIS, SPLENDIDISSIMAEque FAMILIAE TVAE, nobis adeo comprobaſti, vt ſummi in arte medica honores TE ex merito ſequantur, quos eo laetius TIBI ex animo gratulor, quo certius perſuaſus ſum, in TE olim erudito orbi inſigne acceſſurum decus, multisque aegrotis eximium ſolatium. Perge igitur, praeclare faciendo et citato curſu ad culmen honoris et felicitatis propera, paterna veſtigia nobiliſſima aemulatione preſſurus. Ienae 1725. die 13. Nouembr.

CLARISSIMO

DISSERTATIONIS HVIVS INAVGVRALIS

AVCTORI

SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONORIBVS

CANDIDATO LONGE DIGNISSIMO

S. D.

IO. CHRISTIANVS STOCK.

Illuſtris et Excellentiſſimi AVI, pariter et Celeberrimi Experientiſſimique PARENTIS TVI in veſtigiis

quum

quum pleno gradu gradiaris, non vulgares minitaris perfectiones, sed de pio, solide docto, ac felici Medico Medicis haud paucis palmam praeripiente, reipublicae ex merito gratulandum esse, dubium relinquitur plane nullum. Quapropter in non mediocrem venio laetitiam, quando TIBI, Auscultatori quondam meo perquam industrio, Brabeutae officia praestiturus, summos in arte salutari honores ex animo gratulandi occasione potior largissima, largior tamen essem in acclamationibus, gratulandique formulis, nisi id modestia TVA vetaret. Quod tamen volo, velim iubeat summus rerum omnium Moderator, vt ad inuidiam vsque felices conatibus TVIS euentus respondeant quam cumulatissime, solidioris vero eruditionis neglectae poenas dent medici inuidentes, et de industria academica suspecti. Dabam Ienae idibus Nouembr. A. A. S. N. ∞ IↃCCLII

NOBILISSIMO
ARTIS SALVTARIS CANDIDATO
DOMINO
IO. FRIDERICO HVFELAND
S. D.
CAROLVS GOTTHELF. MVLLERVS
ELOQV. ET POES. PROF. PVBL. ORD.

Non vnum laetitiae atque gratulationis suppeditat mihi argumentum dies hodiernus, qui solidae eruditionis tuae testis, immo virtutis Tuae sacer laudibus, summis in arte medica honoribus condecoratum Te salutare iubet. Quam diuinante animo de Te, ad quaeuis egregia nato, atque de Tuo in addiscendis scientiis ardore spem conceperam, non modo expleuisti, sed potius superasti. Nunc iure quodam meo in gaudii venio societatem, quod

Tibi faciunt teſtatum omnes, qui ſanguine Tecum iuncti, non, vti mos ſert, gratulantium, ſed iuſto honoris, diligentia parti, ſenſu commoti ſincera ex mente Tibi adplaudunt. Nouam praeterea laetitiae ſentio acceſſionem, quum PATREM TVVM OPTIMVM, AFFINEM INTEGERRIMVM, laetitiis adfluentem conſpicio, qui nunc filium, primum familiae ſuae decus, veſtigiis ſuis, virtutis & honoris ſcilicet veſtigiis, incedentem, Te experitur, paternae gloriae aemulum et futurum aliquando haeredem. Ad ſummum autem euehitur gradum, qui me demulcet affectus laetitiae, quando Te in paternis AVI laetantis haerentem amplexibus cerno, qui nepoti ſuo natu maximo, educationis atque inſtitutionis ſapientis olim egregie patienti, iamque gratos eiusdem offerenti fructus, votiue acclamat. Intenſisſima, cuius ita auctor exiſtis, abreptus voluptate, tantum abeſt, vt diffitear ſiue etiam eius ſupprimam ſenſum, vt potius, quibus nunc quoque Te excipio, adplauſibus vota pro ſalute communis noſtri PARENTIS admiſceam: cuius ſcilicet ſenectutem, iuuentutis nitore ſuperbientem atque robore, ita beet Numen propitium, vt in reliquorum nepotum, Tua lecturorum veſtigia, felicitate pariter ac gloria curae ſuae paternae atque ſollicitudinis larga colligere praemia Ipſi liceat ſuperſtiti. Similis et tuum, quem fraterno proſequor amore, PATREM ſenectutis exhilaret felicitas, vt prouidi amoris, quo ſaluti liberorum ſuorum inuigilat, fructus aliquando percipiat vberrimos. Te autem et AVI SVMME VENERABILIS et PARENTIS VENERANDI excitatum virtutum ſimulacris, in illuſtri omnino loco poſitis, gloriae, quae actionum tuarum ſit auctor, trado atque committo duci. Ita vale, et res tuas age laudabiliter!

Scrib. Ienae d. XV. Nov.

CIϽ IϽ CC LII.